

8
GAUDIUM PASCHALE,

Quod
SEPULCRALIS LAPIDIS JANITOR,
COELESTIS CURIÆ LEGATUS,

OB RESUSCITATUM
EX MORTUIS
MUNDI REDEMPTOREM,

Nonnullis primùm mulierculis
Crucifixum in busto quærentibus,
mox omni omninò detulit populo,


Anniversariis hisce Feriis,

piò mentis ardore renovandum,
quibusvis Christiani gregis cultoribus,
eosq; inter Lycei nostri civibus,

ex officio, ex debito
proponit atq; propinat

M. HENNINGUS WITTE,

ELOQ. ET HIST. P.P.



RIGÆ,

Typis HENRICI BESSEMESSERI.



lem denuò, summi clementiâ Numinis, celebramus Paschalem, splendenti exuberantis gaudii lumine coruscantem. Illô quippe æternus justitiæ Sol, CHRISTUS, superatis atrocissimorum cruciatuum difficultatibus, devoratâ ignominiosissimæ mortis acerbitate, prostratis undiq; improbis adversantium conatibus, pristino splendore vitæ restitutus est. Jam acerbissimæ Passionis hiems præteriit, & imber divinæ à nobis penitus recessit indignationis. Flores ecce! novo cum vere, verè cœlestis exsurgunt atqve progerminant gratiæ. Tempus advenit omnium formosissimum pariterq; utilissimum. Qvis etenim, amœnitates amans rurales, vites arboresq; per hortos hinc inde atq; vineta dispositos, in præsentem non putat studiosissimè? Quis peccatorum ramenta amputari totus non desiderat fidelium? Qvis Servatoris pretiosissima sibi imputari merita intimis haud efflagitat desideriiis? ô lucem omni auro magis auream! ô bonum ineffabile prorsus, ac nullô unquam ære redimendum! Auditur in cœtu subinde credentium turturis vox Evangelici, qui RESURREXIT DOMINUS altius sæpiusq; repetit. Illam promptè excipiamus omnes, Angelicò prolata ore, terræ comprobata motu, hostium extortam confessione, ipsiq; veritati quàm maximè congruam. Venite, inclamabat metus & admirationis thyrso percul-

fas & ad Resuscitati bustum stantes, mulierculas candidâ amictus stolâ juvenis, mysterii hujus Præco & testis omni exceptione major. Videte locum corpore vacuum, corporis notate vestigium, linteas agnoscite exuvias, quibus pii eum involvère Libitinarii. Nolite timere, non est, quem quæritis, amplius mortuus, sed vivit; non victus, sed victor. Primum hoc Paschalis resonabat lætitiæ præconium, solemne Angelorum nuncium, & exoptatum hominibus Evangelium. Nam timor & tremor omnes tum mundi replebat angulos, cunctaq; horror commovebat. Quin imo ipsum verebatur cælum æqvô, nedum læto vultu, tam execrandum intueri facinus. Itaq; plenum mœrore lugubriq; quodammodo indurum habitu Creatori ibat exequias. Sol superioris Solis sui, à quo lumen omne ac vitam sibi dari sentiebat, mortem sine morte & occasu suo adspicere recusabat, adeoque suffusam quasi pudore faciem tristi nubis peplô obvolvebat, simul ac horrendâ orbem involvens caligine. Verùm enim verò hōc ipsō Paschali die omnes istæ, ad exortum è tumba solem, dissipatæ fuerunt tenebræ. Transiit modò nox spinarum, clavorum, vulnerum. Caligo evanuit tam grandi nebularum turbinumq; crasfitie formidanda. Timeat proinde Judas, qui prodidit, Herodes, qui illusit, Pilatus, qui condemnavit, miles, qui Dominum crucifixit gloriæ. Fidelis verò maximopere exultet anima, gaudeatq; in sinu, quod idem ille moriendo mortem destruxit, ac stupendam

pendam de Diabolo ac inferno victoriam reportavit. Pericles, inclutus quondam Atheniensium Dux, memorabilem ex Samiis obtinuerat victoriam; sed splendorem illius Elpinice, foemina, obnubilavit, dum è bello redeunti non absque lacrumis obviam procesfit, inque hunc modum eundem compellavit: Præclara sunt ista, quæ gesisti, qui nos tot fortibus viris & liberis spoliasti. Pyrrhus, Epirotarum Rex, duplicem contra Romanos duxerat triumphum, postea tot millium internecionem suo volvens animo, dixisse fertur: Si unô adhuc præliô Romanos vicerimus, actum fuerit de nobis. Non ita pugnabat, non ita vincebat Leo de tribu Judæ, geminæ substantiæ Heros, qui absque vel minimi homuncionis interitu, tormentis destitutus bellicis, armatisque militum copiis, acerrima commisit bella, totque hostes potentissimos unâ duntaxat strage debellavit, fudit, sustulit. Conturbati igitur jacent perpetuis constricti vinculis Principes infernales. Ubi nunc Leviathan ille ferox, quem ligare nemo poterat? Ubi Mors, terror ille mortalium ad cujus nomen omnes expavescunt, quique omne, quod terrenum est, in pulverem redigit? Eleazar sibi gratulatus, quod armatum pugione confoderit Elephantem, ut ille unâ cum turri militibus plena in terram mortuus concideret. Majori sanè felicitate CHRISTUS immanem bestiam, Mortem, cum omnibus ejus sociis ac confœderatis, suâ confecit morte, eiq; omnem abstulit potentiam. Quum, labente

superiori seculô, Hispanorum clasſis, ex centum con-
ſtans & triginta montium inſtar magnis navibus, ad-
verſus Anglos atq; Batavos educeretur, multorum
perſuaſio eam invictam pronunciavit. At quando par-
tim à maris impetu concuſſa, partim ab hoſte diſſipa-
ta, paucis relictis, reſq; infectâ domum remigraret, me-
moriâ navalis hujus conſervare expeditionis non-
nulli ſtuduerunt. Quamobrem moneta tum excuſa,
quæ ab uno latere naves referebat Selandiæ, cum lem-
mate: SOLI DEO GLORIA. In altero quàm pluri-
mæ ingentis molis conſpiciebantur naves, additis in-
ſuper verbis: CLASSIS HISPANICA, & juxta mar-
ginem: VENIT, IVIT, FUIT. Ad CHRISTI re-
ſuſcitati victoriâ longè illuſtriorẽ hæc ſi applice-
mus, non ad eò multum errabimus: Venit namq; ille
ad infernum, ivit domitor & confector ejus ex inferno,
fuit mox infernus, omniſq; ei adempta poteſtas in la-
pſum genus humanum. Hinc jure meritoq; læti gra-
tiq; canamus: SOLI DEO GLORIA: SOLI CHRIS-
TO VICTORIA. Laudate Dominum, qui ſuum
in libertatem aſſeruit populũ, cujus dextra quoscunq;
Dei hominumq; percusiſit inimicos. Communis
proinde hæc omnium noſtrũ eſſe debet felicitas &
commune gaudium: Omnium ſiquidem revixit ſa-
luti, qui pro omnium peccatis ſeveriſſimæ ſe addixit
paſſioni. Reſurrexit io! ac in æternum vivit, qui à
morteteneri immortalis neutiquam potuit. Aſcendit
è terra Altiffimus, ut ad terram pavore confuſi ſe pro-
jice-

jicerent custodes. Illi venerant, ut mortuum observa-
rent, nunc autem, ruptô sepulcrô, ut mortui concidunt. Etenim cum justus resurgit, peccator emoritur, cumq; reviviscit innocens, ejus intercipitur antagonista. Terram respiciebant, terram salutabant terrenæ mentes, nec ascendentem cernere Deum, nec rutilæ sustinere resurrectionis fulgorem valebant. Judæi JESUM sarcophago immisum haud amplius ut Doctorem timebant, sed crudelis in eum prolata sententiæ reformidabant judicem. Nos contra, qui à crucifixo nomen & vitam omnem trahimus, effusè admodum hodie & in ævum usque lætemur, quod is, qui de infelici descendere arbore noluit, è monumento obsignato suâ surrexit virtute atque gloriâ. Hic ergo dies est, quem nobis fecit Dominus, quò gaudere decet & tripudiare. Nemo se à communi hocce Christianorum jubilo peccatorum conscientiam subtrahat: Nemo à publicis votis & solemni gratiarum actu delictorum sarcinâ revocetur. Resurrexit caput, resurgent aliquando & membra. Mittamus interea antiquam ac perversam peccandi consuetudinem, malitiæ expurgemus fermentum, inque azymis pietatis ac honestatis residuos vitæ dies transeamus. Ex profundo mundi somno quàm maturissimè surgamus ad decentes Victori nostro augustissimo peragendum gratias. Surgamus alacri prorsus mente manique ad pugnam cum hoste conferendam, ut & nos

vinca-

vincamus, ut perpetuò florentem nobisque promeritam æternæ vitæ impetremus coronam. Surgamus ad benignitatis rivulos in proximos quosq; largiter effundendos, siquidem Servator & suâ nobis resurrectione divitias peperit longè splendidissimas. Præprimis ovantes agnoscamus, quæ & quanta in Naturam humanam beneficia profusissimâ liberalitate libertatis nostræ Vindex contulerit, quàm clementem ac munificum resurgendo iis se exhibuerit, qui in eum verè credunt. Magnum erat fidei & amoris argumentum, quod Philæni se fratres pro sua patria vivos defodi paterentur: At quantum id, quod DEUS, quem nullò nobis benefactò obligavimus, ab iniquissimis nebulonum, nostri causâ, passus fuerit interfici? Hæc aliaque pietatem excitare nostram debent, ut infinitam Redemptoris redivivi gratiam sanctè recolamus ac religiosè veneremur. Etenim portæ inferorum dirutæ, Mors oppressa, Damnatio abolita, Vita & ἀθανασία in lucem reducta, nostræque carnis resuscitandæ tessera fides facta est. Quid multis? Quoniam CHRISTUS à mortuis surrexit, ideoque & nos surgamus: ille è sepulcro, nos à peccato, ille mane & sole oriente, nos ne sole occidente, providè caveamus: ille alacriter & cum gaudio, nos ne cunctanter & cum mœstitia. Hoc, ô mei, cogitate ac facite. Dabam Rigæ Liv. ipsis Paschatos vigiliis, An. O. R. CIO IOC LXXXII.